CLEMENS PP. XII

AD FUTURAM REI MEMORIAM. Alias fel. rec. Innocentio PP. XII Praedecessori nostro pro parte clar. mem. Caroli II dum vixit Hispaniarum Regis Catholici exposito quod dudum rec. mem. Innocentius PP. XI pariter Praedecessor noster Hospitali Innocentium nuncupato Civitatis Hispalen. de alicujus subventionis auxilio providere volens eidem Hospitali unam pensionem annuam mille et quingentorum ducatorum monetae Hispaniae super fructibus redditibus et proventibus Mensae Archiepiscopalis Hispalen. quae de Jurepatronatus ipsius Caroli Regis ex privilegio Aplico cui non inveniebatur carentis in aliquo derogand. esse dignoscebatur ad decennium tunc proximum tantum duraturam sub certis modo et forma tunc expressis reservaverat, constituerat et assignaverat, et alias prout in ejusdem Innocentii XI Praedecessoris litteris desuper sub plumbo expeditis uberius dicebatur contineri; Et in eadem expositione subjuncto quod decennii ad quod pensio praedicta sicut praemittitur reservata fuerat finis imminebat nec tamen causae propter quas reservatio pensionis hujusmodi facta fuerat adhuc cessaverant, cupiebatque propterea idem Carolus Rex eamdem pensionem ad aliud decennium prorogari quemadmodum tunc existens Archiepus Hispalen. suum ad id consensum praestiterat, idem Innocentius XII Praedecessor supplicationibus ipsius Caroli Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus et attento consensu prorogationi hujusmodi a supradicto Archiepo, sicut praemittitur, praestito reservationem constitutionem et assignationem supradictae pensionis annuae mille et quingentorum ducatorum monetae Hispaniae super fructibus redditibus et proventibus praedictis a memorato Innocentio XI Praedecessore factas ut praefertur ad aliud decennium ab ultima die praecedentis decennii computandum sub certis modo et forma tunc expressis Aplica auctoritate prorogavit extendit et ampliavit. Et subinde rec. mem. Clemens PP. XI quoque Praedecessor noster reservationem constitutionem et assignationem hujusmodi pensionis annuae mille et quingentorum ducatorum monetae Hispaniae super eisdem fructibus redditibus et proventibus a praedicto Innocentio XI factas et ad alios decem annos ab Innocentio XII prorogatas extensas et ampliatas respective ut praefertur bis ad alios decem annos dumtaxat pro qualibet vice; Ac postmodum piae mem. Benedictus PP. XIII itidem Praedecessor noster eandem reservationem, constitutionem et assignationem praedictae pensionis ad aliud decennium semel simili auctoritate sub certis modo et forma tunc expressis respective prorogaverunt, extenderunt et ampliaverunt, et alias prout in uniuscujusque Innocentii, Clementis et Benedicti Praedecessorum litteris desuper in simili forma Brevis expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur. Cum autem sicut Charissimus in Xpo filius noster Philippus earumdem Hispaniarum Rex Catholicus Nobis nuper exponi fecit decennium ab eodem Benedicto Praedecessore ut praefertur prorogatum brevi expiraturum sit seu jam expiraverit, indigentia vero dicti Hospitalis pro curandis infirmis, adhuc de praesenti perduret, ac proinde idem Philippus Rex dictam pensionem ad aliud Nobis benevisum tempus prorogari plurimum desideret, ita quod Venlis Frater Archiepus Hispalen. suum ad id consensum praestiterit: Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate Aplica dignaremur. Nos igitur ipsius Philippi Regis desiderio hac in re quantum cum Dno possumus favorabiliter annuere volentes ac dilectorum filiorum modernorum Administratorum Hospitalis hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: de Venlium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio reservationem constitutionem et assignationem supradictae pensionis annuae mille et quingentorum ducatorum monetae Hispaniae super fructibus redditibus et proventibus dictae Mensae Archiepalis Hispalen. Hospitali praedicto et pro eo illius Administratoribus ad decem annos ab Innocentio XI factas et alios decem annos ab Innocentio XII et a Clemente bis ac a Benedicto Praedecessoribus semel prorogatas, extensas, et ampliatas respective ut praefertur ad aliud decennium dumtaxat a fine decem annorum ultimo loco ab eodem Benedicto Praedecessore prorogatorum hujusmodi computandum, servata in reliquis uniuscujusque Innocentii Clementis et Benedicti Praedecessorum litterarum forma, et dispositione auctoritate Aplica tenore praesentium itidem prorogamus extendimus et ampliamus salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Hospitali et Administratoribus praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et delegatos etiam Causarum Palatii Aplici Auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac omnibus et illis quae in supradictis uniuscujusque Innocentii Clementis et Benedicti Praedecessorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die XII Januarii MDCCXXXVI Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Card. Oliverius

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

Bulla del S.or Clem.te
12. su Data 12 de Jun.o
de 1736. en q.e prorroga
al Hosp.l la pension de
1500 Duc. de los frutos
de la Dign.d Arzobisp.l

N 32

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

DIPUTACIÓN PROVINCIAL SEVILLA - ARCHIVO

PERGAMINOS, 775
Hospital de los Inocentes, leg. 5